V. Obſervationes *nonnullæ ſingulares* Anni CIↃIↃCCXXXIII. *tam* Aſtronomicæ, *quam* Phyſicæ, *&* Meteorologicæ, *ab* Joh. Frid. Weidlero, *Prof. Math. Pr. R. S. S. Vitembergæ factæ.*

1. OBſervatio conjunctionis Saturni & Martis. Die 5 Febr. veſperi Hor. 7 m. 30, viſi ſunt duo illi planetæ cum ſtella E ♓ Beieri in eadem recta linea.



♄ ♂ 2° 15′.
♂ E♓ 1. 12. 30″.

2. Die 19 Febr. veſperi h. 7. 15′. notata fuit diſtantia ♂ ab ☉♓, nempe ☉♓ ♂ 1° 17′ 30″. Mars diſtabat à ſtella verſus Septentrionem.

3. Lenitas hiemis præcedentis Menſibus Febr. & Martii febres catarrhales epidemicas peperit.

4. Menſis Martii d. 14. frigus ſolito aſperius, quod illo die experti fuimus, ventus N. E. duos ante dies impetuoſiſſimus attulit.

5 Obſervatio Eclipſis Solaris die. 2 Maii St. V. facta ſeparatim Inclutæ Regiæ Societati oblata fuit & in Tranſ. No 233, invenienda eſt.

6. Maii die. 3. Dicitur *Aurora Borealis* luxiſſe.

7. Maii

The Royal Society is collaborating with JSTOR to digitize, preserve, and extend access to *Philosophical Transactions (1683-1775).* www.jstor.org

7 Maii die 5. frigus nocturnum vites laesit & juglandes etiam segetes passim locis maxime humilioribus exussit, ut spicæ postea granis carerent.

8. Junii die 26. vesperi *Aurora Borealis* luxit, & solitas pyramides circa h. 12 noctis ejaculata est.

9. Octobris die 27. iterum lu it *Aurora Borealis*. Vesperi illius diei circa Hor. 7. arcus niger, alba fascia tectus, sub septemtrionibus apparebat. hor. VIII. 30'. Zona candida nigro arcui incumbens sensim altius expandebatur, circiter usque ad altitudinis gradum 40. atque hæc regio lucida tranquilla usque ad hor. X permanebat. post hor. X. passim ex tractu candido radiationes pyramidales, celeriter emicabant, nebulæ quoque undarum instar per cœlos provoluebantur, quin visus aliquando est totus margo candidus instar undæ luc dæ versus polum assurgere. Hæc undulatio materiæ lucentis, permistis subinde radiis pyramidalibus, lucida illa regione multo clarioribus, durabat usque ad hor. XI. tota materia lucida sensim paulatimque versus ortum promovebatur, in cujus locum nubes atræ distractæ versus occasum succedebant. Paulo ante hor. XI. prope N. W. nubes alba diutius lucebat, & subinde rubebat, materia quoque ejusdem undulabat. cessavit spectaculum post h. XI. aër tempore apparitionis tranquillus passim quoque Stellæ per candidam regionem translucebant: Notabile mihi visum est, quod die proxime sequente cœlum caliginosum & pluviosum fuerit, item quod Noctu post diem XXIX ventus longe impetuosissimus & procellosus sævierit, cum aliás post auroras boreales insigniores serenior plerumque tempestas sequi soleat.

Idem Auroræ borealis phænomenon etiam Stockholmii in Suecia annotatum fuit.

An